

cogebantur; inde oblatio curiae. *b)* Hoc tempore sumimus curias pro aulis, imo etiam pro iudiciis superioribus Imperatoris, Principum, Papae &c. Eadem appellatione hodie adhuc eminent curiae feudales, *Rehns: Curien, i)* et curiae prouinciales, ubi curiae dicuntur, tam membra, quae ea componunt collegia, quam locus, ubi confidere consueta sunt. Quemadmodum vero olim iamiam curiae, certam populi partem significantis, nomen ad loca deuolutum est, ubi populum curantes conuenere; ita et hodiernum eae domus ciuitatum aequae ac oppidorum omnium magistratum sessionibus, aut deliberationibus, aliisque actibus ciuium inseruientes, praefulgent eodem nomine. Maioribus nostris, maxima fortitudinis, sinceritatis, et aequitatis summae, undique corruscantibus laude, nullas fuisse legimus curias, sed eos sub dio ad morem Romanorum primorum conuenisse, de salute publica atque communi deliberaturos. Crescentibus deinde opibus, exstruxerunt communibus impensis domos, quo commodius conuenire, et coeli tempestate haud impediti, ab eaque tuti, curatius animum ad res pertractandas adplicare possent, *k)*

C

§. II.

*b)* Quia conditio tam ratione laboris quam reddituum cepit pessima existimari, ita, ut multi fugerent curialia munera, et collaberentur curiae hominum penuria; THEODOSIUS statuit, naturales liberos curiis deditos legitimos fieri, ut hoc praemio plures allicerentur.

*i)* Pertinent huc pares curiae, quorum in *Iure Long.* mentio fit, etiam suo modo feuda in curte et extra curtem domini.

*k)* Vid. SPELMANNI *glossar. voce: campus.* HERTII *dissert. de LL. ex iudiciis vet. germ.*

.1011 2.11 013 (6